



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonaë, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

Spei.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

hac assertionem millies mori paratus sum. Credo, inquam; quod in hoc Sacramento corpus tuum gloriosissimum verè adest; Sole splendidius, electum ex millibus, cum ea integritate, pulchritudine, majestate, quâ in Cælo existit, & quâ nulla major concipi potest. Ibi dem est sanguis olim pro nostra omniumque salute effusus. Ibi est anima omni gratiâ & sapientiâ plena, in qua sunt omnes thesauri virtutum & scientiæ Dei. Ibi denique latet Divinitas tua, Verbum scilicet omnipotens, per quod Pater dicit omnia: & quia tu in Patre, & Pater in te est, adest etiam Pater te Verbum suum generans; adest & Spiritus Sanctus utriusque nexus & amor. Hoc est compendium omnium mirabilium tuorum, hoc summum prodigium, omnium creaturarum mentium captum excedens, hæc veritas infallibilis, quam te largiente per gladios & ignes profitebor.

## S P E I.

**I**n te solo spem meam colloco, dulcissime Jesu; quia tu salus & virtus mea, tu refugium & firmamentum meum, tu fons omnium bonorum. Quomodo enim auferem hoc tremendum Sacrificium Deo Patri offerre, teque in eo suscipere, nisi fiduciam tu mihi præberes, qui me tuo sanguine redemisti? De tua igitur benignitate confidens accedo ad te, ut ovis morbida ad Pastorem, ut infirmus ad Medicum, ut reus morti obnoxius ad Advocatum; ut tu me foveas, protegas, corroboret, & faves. Abyssus nihili mei abyssum invocat bonitatis tuæ; nam licet peccata mea plurima & gravissima sint, ea tamen nihil sunt, quamvis plura & graviora forent, si cum misericordia tua, & pretio sanguinis tui conferantur. In ipso reposita est tota fiducia mea, & gaudeo quod nihil in me sit, in quo possim contidere. Miserere mei, & salva me, qui nunquam deseris sperantes in te.

## C H A R I T A T I S.

**Q**uanta vis amoris cor tuum succendit, amantissime Jesu, cum transurus de hoc mundo ad Patrem mensam parasti nobis habentem omne delectamentum, & omnem saporem suavitatis. Grande quidem fuit & admirabile opus amoris tui, quod naturam no-

stram assumere dignatus sis; sed longè præstantius & mirabilius est, quod corpus tuum in cibum, & sanguinem in potum reliqueris: in illo siquidem nostram suscepisti humanitatem, in hoc tuam largiris Divinitatem. Sic totum thesaurum gratiæ tuæ in nos effudisti, ut immensa hæc dilectione præventi amoris vicem tibi rependere totis viribus satagamus. Amo itaque te unicum meum solatium in hoc exilio; unica spes languentis animæ, unica mea felicitas, & summum bonum quo in terra fruiliet. Amo te toto corde, totâ mente, totâ virtute: atque utinam omni momento te ferventius semper amarem! Hoc est ardens desiderium meum, huc feruntur gemitus mei, & suspiria cordis mei. Ad te enim trahis omnes vires animæ meæ, dum te ipsum transfundis in me: dum, quantum fieri potest, me similem tui facis: dum esuriens animam meam non cibo aliquo terreno, sed pretioso corpore & sanguine nutris, satias, & saginas. Pro hæc tua ineffabili largitate amo te, Deus meus, & nunquam cessem amare te, amorem meum te ipso inflamma, qui esca & pabulum amoris es. O ignis jugiter ardens, & nunquam deficiens, ure renes meos & cor meum, ut ardeant amore tui. Ignem venisti mittere in terram, accende illum & eventila, ut semper crescat. Te enim amabo, si amandi vires præbueris, & eò amplius amabo, quò uberiorem amandi gratiam infuderis: nunquam tamen te amabo, ut dignus es.

## D E S I D E R I I.

**Q**uemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Salvator meus Domine Jesu: desiderat, inquam, anima mea accedere ad te, teque offerre Deo Patri, ac de fontibus salvationis tuæ vinum lætificans in gaudium haurire. Sitio enim Domine, lassatus in via iniquitatis, sitio te Deum meum venam aquarum viventium, sitio sanguinem tuum, quem mihi in potum mirabiliter tribuisti. Ad te venio, & clamo post te, liberator meus, esuriens & sitiens: miserere mei Fili David, & da mihi panem tuum, da vinum quod miscuisti, ut refocilletur anima mea. Atque utinam possem omnium Sanctorum affectus & inflammata desideria habere, teque semper sitire fontem vitæ, fontem sapientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis.